



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. LXX. Reverentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

CAP. LXIX. Retractus. Retro- venditio.

Axioma I.

Quoties quis se fundat in retractu, toties illum sibi competere vel pacto, vel statuto probabit, quia retractus refragatur libertati commerciorum, pro hac verò præsumitur; nec constitutio Friderici Imperatoris unquam apud nos recepta, sed totum jus retractus ex moribus & statutis dependet. *Brunnem. cent. 2. decis. 80.* Socius igitur, qui se fundat in jure retractus ratione partis à socio venditæ, tenebitur illud probare. *Carpz. P. 2. Constit. 31. Defin. ult. in fin.*

II.

Retractus gentilitius competit duntaxat illi, cui statutum concessit: quia retractus gentilitius à jure novo reprobat per *l. dudum. 14. C. de contr. emt.* sic in locis, ubi jus civile viget, retractus haud est validus.

III.

Quicumque primus est in successione, ille quoque primus est in retractu, quia hic potius jus habet, ergo merito erit præferendus, & quia jus retractus per omnia ferè imitatur naturam successionis ab intestato. Hinc igitur etiam contra remotiorem agnatum jus retractus locum habet. *Berlich. P. 2. concl. 39. n. 54.*

IV.

Quoties quis ex jure retractus rem repetit, toties easdem condiciones acceptare tenetur, quas primus emtor, quia retrahens succedit in locum primi emtoris, ut ergo & onere & commodo emtoris utatur, æquum est. Ita ergo si conventionem emtori fides habita sit de pretio, daß er auf gewisse Tagezeiten bezahlen möge / procedit etiam retrahenti. *Zoes. tract. de retrovend. num. 98.*

Limita: nisi dolose in contractu fuerit versatus primus emtor, utpote si fraudulenter majus pretium ad impediendum fortè retractum obtulerit.

V.

Quodcumque in primâ venditione conventum, illud censetur repetitum in retrovenditione, quia hæc æstimatur ad modum primæ venditionis, ita ergo idem pretium in retrovenditione solvendum.

Limita: nisi expressè vel tacite aliud actum; semper enim subintelligitur clausula: si res in eodem statu permanferit, nec deteriorata fuerit.

CAP. LXX. Reverentia.

Axioma I.

Reverentiæ juri non potest præscribi, *c. cum non liceat 12. ubi latè Felin. de præscript. fac. quæ not. Roch. de Curt. in repet. c. fin. col. 79. in pr. extr. de præscript. Ludov. Gomez. ad §. penales. Instit. de action. n. 31.*

II.

Reverentia juri pacto partium renunciari non potest, *l. alia 14. §. eleganter 1. ibidemque Bart. ff. solut. matrim. quemadmodum nec remitti.*

Intellige nimirum expressè, non verò tacite, arg. *l. 2. C. de juram. cal. & cap. 1. eod. in 6. puta quando pater vel patronus non in vitus in judicio comparuit. vid. Lud. Gomez. ad §. penales. Instit. de act. n. 31.*

III.

Reverentia par cuique parentum debetur, *l. furiosa 4. ff. de curator. furios. l. veluti 2. ff. de justit. & jur. l. quique litiganti 4. §. fin. l. parentes 6. ff. de in jus voc. Roland. à Valle consil. 37. n. 3. cum seqq. vol. 3. Dec. in l. 3. C. de in jus vocand. ubi in not. 3. inquit: Sicut patri reverentia debetur, ita & matri, quia patris & matris æqualis est pietas, licet inæqualis potestas, §. famina 10. Instit. de adopt. Goedd. 3. Consil. Marburg. 28. num. 137. Distinguit tamen Carpzov. 6. respons. 69. n. 19. inter reverentiam naturalem & civilem. Illa (juris naturalis) utrique parentum ex æquo debetur: Non etiam hæc, quæ solo jure civili nititur, quæ in patria potestate, quæ juri civili assignatur, fundata est: Hoc enim jure patria potestas non est concessa sexui, qui seipsum regere nequit. Ergo nec jura inde manantia.*

IV.

Officiales puniuntur, si illustribus personis non debita præstetur reverentia, *c. gr. si consilium ingredi volentibus non pateat ingressus, aut reverentia inter salutandum illis non habita fuerit, aut denegata sedendi cum judicibus facultas, cum & ipse princeps illis assurgat. l. 2. C. de proxim. sacr. scrip. ibique Perez. n. 22. Idem ad tit. C. de domest. & protect. n. 6.*

CAP. LXXI. Revocatio.

Axioma I.

Revocatio præsupponit habitum, *l. decem 116. de V. O. c. ad dissolvendum 13. extr. de desponsat. impuber. Pantlchm. 2. q. pmet. 13. n. 75.*

II.

Per revocationem generalem non censentur revocata ea, quæ specialibus locis vel personis prius fuerunt concessa, *cap. pen. de rescript. in 6. Castr. consil. 146. p. 1. incip. super primo. Alciat. in tract. præsumpt. reg. 3. præf. 69. Thom. Grammatic. consil. 103. num. 235. Gylman. 1. p. 2. vot. 7. tit. 11. n. 17.*

III.

Revocare licitum est re integra, quod quis fecit, *cap. quicumque 11. de seni. excomm. in 6. Unde & potestas re non integra alicui revocari non potest, cap. in causis 30. extr. de elect. sicut nec ea, quæ per modum contractus sunt concessa, l. quod semel 5. ubi Bald. ff. de decret. ab ordin. faciend. Cyn. Bart. & Paul. de Castr. in l. digna. C. de LL. Bald. Salicet. Igneus in l. donationes quas. C. de donat. in vir. & uxor. Imol. in c. 1. vers. & per*